



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XIV. De Voluntate Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

quin Deo tribuendum sit, quicquid spectat ad perfectissimam providentiam?

Dices Deum cognoscendo vim mediorum, & proportionem quam singula habent cum voluntate, certò scire quanam ex illis sint effectum habitura, eaque per ejusmodi scientiam, quæ est naturalis, applicare ad obtinendum effectum. Verùm hoc facile rejicitur, tum quia à nobis concipi nequit, quomodo Deus certissime cognoscat effectum futurum, in causa ad utrumlibet indeterminata: tum quia cum scientia Dei sit infallibilis, illud omne necesse est evenire, quod Deus ex cognitione causarum certo eventurum prævidit: at quanam erit illa necessitas, qua necesse erit futurum illud contingens evenire, quod Deus ex cognitione causarum certo eventurum prænovit? non sane consequens, quia nullo modo supponet actum, etiam sub conditione prævisum, ergo antecedens, adeoque libertati repugnans. Quare concludo, ut certitudo decretorum Dei recte concilietur cum libertate arbitrii, necessario esse recurrendum ad scientiam conditionatam, seu mediam. Vide plura hac de re in suavi Concordia *disp.* 4. per totam.

CAPUT XIV.

De voluntate Dei.

RESOLUTIO I. *In Deo est voluntas.*] PROBATUR; tum ex Scriptura *Psal.* 113. Omnia quæcunque voluit fecit *Rom.* 9. Voluntati ejus quis resistet? tum quia Deus est intellectu præditus, ergo & voluntate: Sequela patet, nam appetitus sequitur formam, naturalis naturalem, sensitivus sensitivam, & rationalis rationalem, ut nimirum quælibet res possit appetere bonum sibi conveniens: Deus ergo appetitu rationali, seu voluntate præditus est: præsertim cum hæc sit perfectio simpliciter simplex, supremo & perfectissimo enti apprimè consentanea & necessaria.

Nota 1.

Nota 1. Voluntatem non esse propriè in Deo per modum potentia, & actus primi, quia strictè loquendo potentia volendi est principium elicitivum actualis volitionis realiter distincta, & subjectum illius receptivum, quæ conditiones repugnant summæ puritati & simplicitati divinæ; ut patet ex aliis dictis.

Nota 2. Quod etsi à parte rei voluntas non sit in Deo per modum potentia seu actus primi, nihil tamen vetat quin eam hoc modo concipiamus, sicut eam consideramus ut distinctam ab essentia, & veluti quandam illius proprietatem; sicut etiam distinguimus per rationem attributa ab eadem essentia divina, & concipimus Deum non modo actu intelligere, sed etiam habere intellectum infinite perfectum per modum potentia, ab actuali intellectione distincta.

RESOLUTIO II. *In Deo est appetitus innatus.*]
PROBATUR, nam in primis etsi Deus utpote perfectissimus, non possit habere naturalem appetitum per modum prosecutionis, quo tendat, ad consecutionem alicujus perfectionis; cum tamen quælibet res quiescat in perfectione naturali quam possidet, non incongruè dici potest Deum, non tantum appetitu elicitu sibi complacere in suis perfectionibus, sed etiam ex inclinatione naturali in iis quiescere; atque ad eò habere appetitum innatum per modum quietis, ex sola naturæ inclinatione ortum.

Deinde persona produciens dici potest habere appetitum naturalem, ad productionem personæ ab ea procedentis, sive quia persona produciens est Deus, at divinitas naturaliter propendet in totam suam perfectionem, quæ non subsisteret sine tribus personis: sive quia sicut in creatis, potentia productiva habet insitum appetitum, ut suo effectui se communicet, ita in persona producente debet esse appetitus innatus, ut se communicet personæ quæ ab ea produciatur.

Tandem tota Trinitas ut unus Deus omnipotens & infinitè bonus, naturaliter inclinatur ad suas perfectiones creaturis communicandas, tum quia qualibet potentia actiua naturaliter inclinatur ad suos effectus producendos, tum quia generatim bonum est sui diffusivum: Deus tamen naturalem hanc inclinationem necessario non exequitur, sed ex iudicio rationis liberaque voluntate, qua quæcunque vult, facit in cælo & in terra.

Dices, in Deo est appetitus rationalis, quo in propriis perfectionibus sibi complacet, seque aliis communicat: ergo, quoad hæc, appetitus innatus est superfluus. *Respondeo* non sequi, quia dantur in re aliqua varii appetitus, juxta varios entis gradus quos participat, ut patet in homine, qui habet appetitum sensitivum, etsi per rationalem in illius objectum ferri possit.

RESOLUTIO III. *Deus vult & amat seipsum, & creaturas omnes.*] PRIMA PARS adeò certa est ut probatione non indigeat: frustra enim voluntate præditus esset, nisi aliquid vellet & amaret: nullum autem objectum ipsius voluntate congruentius cogitari potest, quàm ejusdem bonitas infinita: quare dubitari nequit quin Deus seipsum, idque infinitè diligat.

Eo vel maximè quia sicut divinæ cognitionis objectum primarium est divina veritas, ita proportionè servata divinæ volitionis objectum perfectissimum divina bonitas esse debet; ita ut ad essentialè & absolutam Dei felicitàtem utraque operatio concurrat, videlicet comprehensio, & amor sui ipsius.

Secunda pars probatur 1. Ex Scriptura, *Psal. 113.* Omnia quæcunque voluit, fecit: & Sapientiæ 11. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. 2. Ratione, nam sicut se habet intellectus divinus ad verum, ita & voluntas divina ad bonum; sed divinus intellectus fertur in omne verum, non solum increatum, sed etiam creatum, ut supra ostensum est: ergo
& ve-

& voluntas divina in omne bonum, non tantum increatum, sed etiam creatum, quale est omne ens à Deo productum; juxta illud *Genes. 1.* Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Confirmatur, nam cum nihil sit à se præter Deum, sequitur alia omnia quæ sunt, à Deo producta esse; & cum Deus non agat ex necessitate naturæ, sed liberrimè ut infra ostendemus, hinc fit, ut creaturas non produxerit nisi volens, & ex mero affectu iis communicandi bonitatem suam juxta uniuscujusque capacitatem; unde quia amare aliud nihil est quàm velle bonum alicui, quo magis res aliqua participat de bonitate & perfectione divina, eo magis illa censetur à Deo diligi. Quo autem modo Deus creaturas diligit, dicitur *cap. 17.*

RESOLUTIO IV. *Deus non vult malum culpa, et si illud permittat, vult tamen malum pœna non per se, sed per accidens.*] PRIMAPARS est aperta in Scriptura, *Sapientia 14.* Odio sunt Deo impius & impietas eius. *Psalms. 44.* Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem. Ratio autem est, quia cum Deus nihil velit saltem ultimè, nisi ex motivo suæ bonitatis, sequitur cum nihil posse appetere, nisi quod dicit ordinem ad ipsius bonitatem, & ad illam refertur: at malum culpæ non ordinatur ad bonitatem divinam, quin potius illi repugnat, vel tanquam ab ea ut ultimo fine planè averrens, si peccatum sit mortale; vel saltem aliquantisper retardans, si sit veniale.

Secundapars facilè ostenditur, nam multa peccata quotidie fiunt ab hominibus, quæ non fierent nisi permetteret Deus ea fieri; illa ergo permittit, non merè negativè se habendo circa peccatum, sed actu positivo voluntatis volendo illud permittere, & consequenter suppeditare concursum necessarium ad illud patrandum. Et quamvis peccatum sit malum, bonum tamen est ut creatura libera finatur uti jure suo, & consequenter ut Deus non deneget illi

concursum quem ex munere primæ causæ illi exhibere tenetur, & sine quo in actum prodire nõ posset.

Tertia pars probatur, nam quod Deus velit aliqua ratione mala pœnæ, hoc constat ex variis pœnis quas tam in hac quàm in alia vita immittit. Quod autem non velit tale malum per se, satis ex eo patet, quod appetitus non tendit per se, nisi in bonum. Quod etiam possit velle ejusmodi malum, per accidens, ea ratione ostenditur, quia bonum divinæ justitiæ pœnis conjunctum melius est, & optabilius, quàm bonum naturæ quo ejusmodi pœnæ privant. Unde etiam vult Deus per accidens naturales defectus, propter bonum ipsis conjunctum: verbi causa, unius rei corruptionem propter generationem alterius, & ut servetur ordo naturalis rerum ac pulchritudo universi.

Nota Deum non esse causam peccati, etsi causet voluntatem; quia cum hæc sit libera, peccatum cavere potest. At neque Deus est causa peccati etsi ad entitatem illius concurrat, quia nihilominus non est propriè causa ut talis entitas ponatur in rerum natura, cum voluntatem creatam ad illius positionem non impellat, sive physicè, sive moraliter; & aliunde cum sit prima causa tenetur concursum suum generalem exhibere voluntati, quoties illa operari voluerit.

RESOLUTIO V. *Deus vult quicquid vult propter suam bonitatem, adeoque objectum formale omnium volitionum divinarum est ipsius bonitas.*] **PROBATUR,** tum ex verbis illis Bernardi *Serm. 59. in Cant.* Amat & Deus, nec aliunde hoc habet, sed ipse est unde amat. Tum quia cum Deus creando res, bonas faciat, patet eum non posse moveri à præexistente earum bonitate, ut eas velit & diligat, sed à sua bonitate infinita, quæ proinde est objectum formale, & totale motivum divinæ volitionis: quatenus Deus essentiam suam ut infinitis modis participabilè cognoscens, motus à sua bonitate, statuit has & illas creaturas

turas producere, iisque participationem aliquam sui esse conferre, & simul illas ad seipsum, ut ad ultimum earum finem referre, juxta illud *Proverborum 16.* Universa propter semetipsum operatus est Dominus. *Confirmatur*, nam cum voluntas divina sit infinite perfecta nullum aliud bonum quam infinitum potest esse objectum adæquatum, & primarium à quo illius actus specificetur; quare sola bonitas divina potest esse primarium motivum quo Deus se & alia diligit, neque in bonitate creaturarum, utpote essentialiter finita: ultimatè sistere potest.

* *Nota 1.* Etsi Deus omnia velit propter suam bonitatem, inde malè colligi, non esse in eo justitiam, misericordiam, aliasve virtutes, præter charitatem: quia ut ejusmodi virtutes sint in Deo, sufficit quòd operetur ex speciali earum honestate; quanquam illud totum ultimatè in suam bonitatem referat.

Nota 2. Quod dici solet, amorem amicitiae tendere ad amicum propter ipsum, dupliciter posse intelligi: nam si sensus sit, amorem amicitiae terminari ultimatè ad amicum, sic falsum est; si verò aliquem amari propter ipsum significet tantum, eum amari, ut ipsi bene sit, sic Deus amat hominem propter ipsum, etsi ad hoc non moveatur à bonitate hominis, sed à sua propria bonitate divina; ad quam ipsemet homo, totumque bonum quod possidet ultimatè refertur.

RESOLUTIO VI. *Voluntas Dei etsi realiter unica sit & simplicissima, dividitur in voluntatem signi & beneplaciti, antecedentem & sequentem, conditionatam & absolutam, efficacem & inefficacem.*] PER voluntatem beneplaciti intelligitur quædam voluntas verè & formaliter in Deo existens, qua complacet sibi in re volita; ac per voluntatem signi intelliguntur signa quædam externa divinæ voluntatis hoc versu comprehensa.

Præcipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet.

Licet autem non semper in Deo reperiatur affectus interior, qui juxta conceptum nostrum prædictis signis respondeat, ea tamen absolute significant affectum aliquem, seu voluntatem verè in Deo existentem: aliàs falsa essent signa, qualia à Deo usurpaci non possunt.

Voluntas antecedens est qua Deus vult aliquid secundum se, & sine circumstantiis spectatum, qua ratione vult salutem omnium hominum: *consequens* verò, qua Deus vult aliquid conspectis omnibus circumstantiis, qua ratione vult aliquos damnari, quia nempe sunt mali: sicut judex qui vult antecedenter ut omnes homines vivant, vult consequenter ut homicida intereat.

Eadem voluntas beneplaciti, ad huc dividi potest in conditionatam & absolutam, quæ divisio cum præcedenti coincidit; nam cum voluntas antecedens ea sit, qua Deus vult omnium salutem, si per ipsos non stet; sequitur illam voluntatem esse conditionatam, conditione se tenente ex parte objecti, non actus: ut cum verè & sincerè optamus dare mercedem agricolæ, si in vinea laboraverit: voluntas autem absoluta ea dici potest, qua Deus vult aliquid spectatis omnibus circumstantiis, unde eadem est ac consequens.

Ubi nota voluntatem hanc generalem qua Deus vult omnes salvari, includere istam conditionem, si per ipsos non stet, non verò istam, nisi per hoc impediretur pulchritudo universi, ut putant aliqui Thomistæ: sic enim Deus non haberet verum affectum salvandi omnes homines, contra aperta Scripturæ & sanctorum Patrum testimonia, siquidem ex seipso, & eorum peccatis minimè provocatus, veller voluntate consequente eos damnare, ne, si salvarentur, pulchritudo universi impediretur.

Tandem voluntas Dei dividitur in efficacem & inefficacem, efficax dicitur quæ habet effectum, & inefficax quæ eo caret. Caterum voluntas signi non est sæ-

per efficac, cum non semper fiat quod Deus præcipit aut consulit. Voluntas autem beneplaciti antecedens, qua Deus vult omnes salvari, etsi absolutè non sit efficac, cum effectu careat; dicitur tamen efficac secundū se seu conditionatè, quatenus vi illius reprobī salutem efficaciter consequerentur, nisi illius efficacīæ impedimentum apponerent: consequens verò seu absoluta Dei voluntas semper est efficac, ita ut infallibiliter eveniat, quidquid Deus ea voluntate vult: voluntati enim eius quis resistet? *Rom. 9.* Cujus ratio sumitur ex omnipotentia virtutis divinæ, quæ à nulla creatura impediri potest, unde si homo non facit quod Deus vult voluntate antecedente, Deus facit in illo, & de illo quod vult voluntate consequente; ex illius peccatis efficaciter colligendo gloriam suam.

CAPUT XV.

De libertate voluntatis divinæ.

RESOLUTIO I. *In Deo ponenda est libertas, eaque consistens non in indifferentia iudicij, sed in indifferentia ipsius voluntatis potentis eligere hoc aut illud.*
PRIMA PARS EST certa ex Scriptura quæ multipliciter denotat in Deo esse libertatem, ut cum ait Deum facere quicquid vult, dividere singulis prout vult, salvare quos vult, &c. *Ratione* etiam ostenditur, quia ponenda est in Deo omnis perfectio simpliciter simplex, qualis est libertas, utpote quæ melior est ipsa quàm non ipsa, nec majori repugnat perfectioni. *Confirmatur* nam omnes creaturarum perfectiones ponendæ sunt in Deo, detractis imperfectionibus, at libertas magna est perfectio in Angelis & hominibus, quare potiori titulo in Deo constitui debet.

Secunda pars ostenditur, tum quia omnia Scripturæ & SS. Patrum testimonia, quibus probari solet Deum esse agens liberum, libertatem illius explicat, non per iudicij indifferentiam, sed per indifferentiam ipsius voluntatis potentis velle & non velle.